

2485

A S C R T I C I

2486

sive *Gyriacum* in *Slavoniae* regione collocat, ob linguam *Vindicam* factum reor, qua *Plebs* inferioris *Stiriae* utitur. *Carthusiae* hujus vernaculae *Geyrach* dictae et jam a. 1591. in sustentationem Alumnorum Cleri secularis adtributae *Chartae* extant inter *Diplomataria Sacra Stir.* P. II. *Vien.* 1756. p. 133. 4.

DCL.

203 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. nunc 31. f. rubricis distinctus, bonaeque notae ante Indicem Capp. hac gaudet inscriptione: *In nomine domini doctrina Monachorum patrum quam operibus peregerunt. apud orientem. quod exemplatum est ex codice abbatis theodori senioris. et abbatis theodori junioris. quem transtulit de greco in latino pelagius archidiaconus sancte ecclesie romane. et johannes subdiaconus eiusdem ecclesie ad instructionem et cautelam conuertentium in sancta religione.* Est is liber, quem *Photius Cod.* 198. titulo *Ανδρων άγιων Βιβλος* graecum legerat, quique illi *Συγκεφαλαιωσις και συνοψις τς μεγαλης Λειμωναρις* visus est. Autor tamen illum, perinde ut nos, latuit. *Capita* sive *Libellos* censet XXI. quorum primi titulus miniatus: *In nomine domini. Incipiunt adhortationes sanctorum patrum ad profectum perfectorum monachorum.* Initium: *Interrogavit quidam abbatem Antonium dicens: Quid custodiens placebo deo &c.* C. VII. n. 16. deficit *Codex*, ut patet ex collatione *Denis Codd. Theol. V. I. P. II.*

cum *Herib. Rosweydi Vitis Patrum*, *Antverp.* 1628. f. ubi opus nostrum p. 559. *Librum V.* constituit. *Interpres* noster *Pelagius*, quem quidam deinceps sub *Pelagii I.* nomine ecclesiae universae praefuisse volunt, versionem circa an. 550. suscepit. *Sigebertus gemblac.* c. 115. *de Scriptt. eccl. sexdecim illi Capita* sive *Libellos* tribuit; dein vero *quindecim* tantum enumerat. Hunc secutus *Fabricius L. XV. Johannis* Subdiaconi versionem a C. XVII. incipere adferuit. Sed si *Rosweydam* audias, cuius ordo cum *Indice* Codicis nostri plane consentit, XVIII. *Capitulum* *interpres* est *Pelagius*, reliqua ad *Johannem* pertinent. In eo tamen et *Rosweydam* falli videtur, quod *Caput XVIII.* inscriptum *de Praevidentia seu Contemplatione* in duo dividat partem unam *Pelagio*, alteram *Johanni* adsignans; hac enim ratione universum opus *Capitibus XXIII.* constaret, quod tam *Photii*, quam nostro *Indici* repugnat. Ceterum *Johannis* Versio *Rosweydo* *Librum VI.* et Versio *Capitis XXII. Paschasio* tributa *Librum VII.* constituit. *Caput* vero istud in *Indice* nostro non memoratur. *De Pelagio, Johanne et Paschasio* agit *Rosweydam* cit. *Prolegom.* XIV. qui si *Codicem* nostrum nactus fuisset, non leve variantium lectionum spicilegium deprehendisset.

DCLI.

Codex membraneus lat. Sec. 796 XII. Folior. nunc 48. 8. non una manu,

M m m m

manu,

2487

## C O D I C E S

2488

manu, nitide tamen perscriptus titulum praefert: *Incipit Libellus De Disciplinis Nouiciorum*. Initium est: *Iam dies erat secunda ex quo ueni ad monasterium cuius in primis memini &c.* Monasterium istud *Hirsaugiense* est, ad quod ab Abbate suo *Cluniacensi* ad Regem *Alemanniae* missus Autor noster *Udalricus* illustri genere *Ratisbonae* ortus divertit, rogatusque a Loci Praefule *Wilhelmo* conscripsit Libris III. *Consuetudines Cluniacenses*, quarum hoc Codice solus *Secundus* et initium *Tertii* continetur. Integras edidit e Codicibus nostro recentioribus *Lucas Dacherius Spicil.* T. IV. p. 21. 4. et iterum T. I. p. 641. f. cujus Praeloquium, si lubet, adi. In Nostro varia partim vetustate, partim data etiam opera deleta sunt, quae per errorem scripta. *Capitulum* alia divisio; dum enim *Dacherius XXXVII.* nos *XLIII.* numeramus. C. I. melius legimus: *ac si apud nos fecissent*, quam *Impressa: fuissent*; item: *tyrociniobristi assignatur*, quam: *insignitur*. Caput IV. *De Signis loquendi* (notis V.) prolixius est in Codice 10. ipsis paginis; adjiciuntur enim Signis *Victus* Signa plurimarum aliarum Rerum et Actionum silentii tempore facienda. Augmentum istud interjectum est inter verba *fol. 7. p. 2. acrimonia sentitur*, et inter verba *fol. 12. p. 2. Plura sunt, quae adhuc dicere possem.* Hoc etiam Capite *fol. 7. pro Ruffeolis* five *Placentis* habetur *συρρωμων* teutonicum *Craphones* (*Krapfen*) melius ita exaratum, quam

in margine *Dacherii Crafones*, qui in textu erronee *Cratones* habet. Ad calcem habet Noster: *Explicit Libellus Secundus. Incipit Tertius.* At vero Tertius hic post Praefationem jam in his C. I. verbis abrumpitur: *Beatus autem pater Odilo rogatus in extremis suis. quid sibi de successore uideretur. non adqueiuit ad hoc quemquam nominare.* Est hic celeberrimus ille *Cluniacensium* Abbas, de quo *Mabilonius* in *Abis SS. O. B. Sec. VI.* P. 1. p. 678. et *Hist. Franciae* lit. T. VII. p. 414. qui cum anno 1049. vitam clauferit, de tempore conjici potest, quo *Udalricus* noster *Consuetudines* suas chartis mandaverit. Meminit ejus *Anonymus Mellic.* c. 110. in *Fabricii Bibl. Eccl.* p. 157. eique *Fabricius* ibi annum 1070. adponit. cum vero *Wilhelmo* Abbati *Hirsaug.* cujus rogatu *Udalricus* laborem adgressus est, eodem loco annum 1090. tribuat, annus alteruter vacillare videtur. — Codicis nostri quaedam Spatia vacua *Prosis* de *S. Nicolao* et nato *Servatore* repleta sunt.

## DCLII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. 82a  
Folior. 86. 8. caractere crassiusculo currente scriptus et rubricis distinctus incipit: *Nota quod in isto libello continentur notabilia capitula regule sancti Benedicti magis valencia pro instructione nouiciorum ac fratrum subditorum &c.* Eorum itaque *Elenchus* sequitur, quem excipit *Probemium regule. Auscul-*  
ta